



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 12. Mauri Arcilla urbe pulsi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)



Sæcul. XV. fortunæ iniquitas ingentis prosperitatis  
A.C. 1508. auspiciū erat.

## §. XII.

*Mauri Arcilla urbe pulsi.*

*Marian. lib. 29. n. 36.*  
*Raynald. ib. n. 12.*  
*Surita lib. 5. cap. 23.*  
**R**ex enim Fezarum, sive Lusitanorum  
 victorias indignatus, sive gloriæ cu-  
 piditate stimulatus, die nona Octobris  
 cum valido exercitu Arcillam urbem  
 cinxit, eamque impetu facto occupavit.  
 Equidem illius Præfectus celeri fuga sese  
 ad arcem receperat, eam tamen Rex  
 quantocius adoriebatur, ac globis conti-  
 nuo emissis quatiebat: quapropter  
 Joannes Menesius, qui ad Tingis portum  
 confugerat, accepto tristi nuncio confe-  
 stim cum classe sua obsessis in auxilium  
 accurrit, Maurisque aggere, quem oc-  
 cupaverant, depulsis, arcem subsidiis, an-  
 nona, armorum apparatu, cunctisque re-  
 bus, quibus obsessi ad strenuam defensio-  
 nem opus habebant, opportune instruxit.  
 Præterea Ferdinandus, qui tum Hispali  
 agebat, novos Maurorum insultus veri-  
 tus, Petro Navarrae Comiti negotium de-  
 dit, ut cum classe sua, quam in Heracleæ  
 sinu habebat, sine moræ dispendio Chri-  
 stianis præsto esset; igitur die trigesima  
 Octobris prope Arcillam appulsus, tam  
 vehementi tormentorum explosione Mau-  
 rorum castra infestaverat, ut illis inde  
 rece-



recedere coactis, nil reliquum Fezzarum Regi esset, quam ut urbe incensa cum residua dissipati exercitus sui parte præcipiti fuga Alcarquiviram contenderet. Hujus demum victoriæ beneficio Lusitanorum urbes ab hostili metu liberatæ fuere; Rex vero Emanuel Ferdinando datis literis ob suppetias adeo opportune submissas, grates rependit.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1508.

§. XIII.

*Castellæ Procerum querelæ adversus Ferdinandum.*

Non ea tranquillitatis aura Ferdinandus in regno suo fruebatur, haud vane etenim Procerum suorum clandestinas artes atque potentiam verebatur, cum inter eos nonnulli reperirentur, qui Regem, quamvis is auctoritatem suam apud Castellanos omni studio tueri conaretur, assidue reprehendendi ansam aucupabantur. Hos inter præcipui erant Alphonsus Manriquez Pacis Augustæ Episcopus, & alter Catanæ in Sicilia Antistes, qui, postquam a Ferdinando defecerant, & Philippo Regi adhæserant, semper illi adversabantur, quippe veniæ obtinendæ diffidentia eorum odium atque indignationem identidem magis, magisque acuebat, illosque in pertinaci suo consilio obfirmabat; hinc non modo

*Marian. ib.  
n. 64.  
Raynald. her.  
ann. n. 3.*

*Hist. Eccles. Tom. XXXII. B prom-*